



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

6.142

Programm

des

Gymnasiums zu Luckau,

mit welchem

zu der Feier des Geburtstages Sr. Majestät des Kaisers und Königs

am 22. März

und

zu der öffentlichen Prüfung der Schüler

am 23. März

ergebenst einladet


der Director

Dr. Pilger.

Luckau.
Druck von J. Entleutner & Sohn.
1877.

66.

1877. Progr. No. 62.



Minot Judd

Tibullus quantum in poesi elegiaca profecerit comparato Catullo.

Ut omnes artes literaeque initio rudiores et parum perfectae sunt, neque quisquam cuius operis primus auctor est in eo excellit, sic poesin elegiacam inter Romanos ante Catullum nondum floruisse sed ab eo initium cepisse etiamsi nihil prorsus constaret, tamen ex ipsis eius elegiis conicere possemus. Quas si cum ceteris minoribus carminibus illius comparas prope dubites, num ab eodem scriptae sint. Nam haec tam leviter fluunt et prae se tam felicem facilitatem ferunt, ut poeta aptissima quaeque verba et sententias illico invenisse videatur, contra illae studiosi et molesti laboris suspicionem movent. Idem veteres quoque de illis videntur sensisse. Etenim cum nemo literarum tam ignarus fuit, quin cum alia tum illa duo lepidissima carmina, quae de passere Lesbiae sunt, legeret atque admiraretur, elegiarum vix mentionem faciunt. Nam ut nonnulla illorum testimonia hic afferam Ovidius [1]) et Propertius [2]), cum Catullum appellant lascivum, de versibus eius minutis saepissime parum verecundis neque de elegiis se cogitasse testantur, itemque Horatius [3]) de Catullo Anacreontis et Sapphus imitatore se loqui verbo quo utitur cantandi aperte indicat. Neque aliter Gellius [4]); Quintilianus [5]) denique ubi elegiarum scriptores Romanos honorificentissime commemorat ne uno quidem verbo appellat Catullum. Neque tamen licet nobis aut hoc veterum silentio permotis Catulli poesin elegiacam nimis parvi aestimare aut in contrarium errorem induci Gruppii [6]) iudicio, qui pulcherrimam elegiarum (LXVIII), qualis mihi quidem videtur esse, cum sit indigna, quae Catullo adscribatur, ab inepto interpolatore illiusque imitatore scriptam esse putat. Quam doctissimi viri sententiam, nisi gravioribus confirmetur argumentis, equidem eo magis invitus sequar, quia dolerem, tali modo materiam per se exiguam admodum minui et fundamentum quasi mihi subtrahi, quo nisus, quantum Catullo comparato in poesi elegiaca profecerit Tibullus, demonstraturus sum.

Utriusque poetae ars cum ab aliis obiter tum a Gruppio, Paldamo, Dissenio tam accurate de-

1) trist. II, 427.
2) III, 33, 87 (ed. Lachm)
3) satir. I, 10, 19.
4) Noct. Att. XIX, 9.
5) X, I, § 93.
6) Minos pag. 503.

scripta est, ut paene desperem, fore ut aliquid novi addere possim, puto tamen, operam non frustra consumi, si componantur, quae in hac quaestione aliquid momenti habere possint. Comparationem autem ita instituam, ut priusquam exponam, quemadmodum Tibullus poesin elegiacam excoluerit, primum ostendam, qualis ea a Catullo tradita ei sit, ne si ab illo ipso ordiar, ad hunc iterum atque iterum respicere cogar. Tibullum autem elegiam, siquidem artem magis quam temporis ordinem spectamus, a Catullo traditam accepisse neque a ceteris poetis, qui inter utrumque carmina scripserunt, veluti Licinio Calvo, Cornelio Gallo, Laevio, Hortensio, Memmio, Ticida, Ansere, aliis, et eorum si quae exstant fragmenta, pulchritudine multo inferiora elegiis Catullianis, testantur et fatum sive quo alio nomine appellari placet illud, cuius benignitate factum est, ut e magno illo librorum naufragio optima quaeque et quae proxime ad ea accedunt, servata ad nostram aetatem pervenerint.

Cum in omnibus poetis, si quidem vere sunt, iudicandis et natura atque indoles et res tempusque quo quisque vixit, nobis considerandae sunt tum in Catullo praecipue, qui si quis alius poeta natus neque factus erat idemque aetatis suae rationem voluntatemque clare et perspicue expressit. Atque ut de rebus primum dicam, quae momento fuerunt ad poesin Catullianam, omitti hic mihi videntur posse eae, quae ad mores populi aut ad statum qualis tum fuit rei publicae spectant. Idque ob duas causas licere puto. Primum enim quamvis verum sit, apud populum, qui humanitatem quasi genuit, mores atque instituta cum artibus literisque optime concordare, tamen hoc minime in Romanos cadit, qui iudicium et elegantiam a Graecis mutuati ostendunt, artes florere posse, cum virtus moresque contempti iacent, tum vero loci Catulliani, qui ad rem publicam spectant, sunt carminum minorum neque elegiarum, de quibus solis hic dicendum est. Earum igitur rerum tantum ratio habeatur necesse est, quae ad ipsam poesin pertinent. Eam autem fere totam, si excipias versus illos Fescenninos, primum saturarum genus, mimos, fabulas Atellanas et quae alia ante Livium Andronicum intra Romanos ipsos nata sunt omnique arte carent, anxie vestigia Graecorum secutam esse inter omnes constat; cum vero illa fere uni rei publicae utilitati serviret et nihil aliud ageret quam ut populi spectantis animos oblectaret, tragoedia potissimum et comoedia florebant, neque mirum est, elegiam tum desiderari, praesertim cum apud eos ipsos, quos imitandos Romani sibi proposuerant, illa non dico prorsus neglecta esset at certe inferiorem locum obtinuisse videatur quam cetera artis poeticae genera. Alexandrini demum, qui illam proprie excoluerunt, cum aliis, quas Romam traduxerunt disciplinis, tum elegiae viam ibi muniverunt. Quae qualis fuerit non alienum videtur esse breviter exponere. De Callimacho, clarissimo eius auctore, Ovidius breviter et, si ex paucis hymnis adhuc servatis de elegiis, quae ad nos non pervenerunt, coniecturam facere licet, acute et vere indicat cum dicit (Amor. I, 15, 13. 14): „Battiades semper toto cantabitur orbe, quamvis ingenio non valet, arte valet"; quod iudicium sine dubitatione fere de tota Alexandrinorum poesi faciendum est. Negari quidem non potest, Callimachum ingenium illud, quo Homerum vel qui auctor est illorum hymnorum, qui nomine Homeri feruntur, maxime praestare videret, diligentissime quaesivisse et animum divino quodam spiritu atque furore inflatum, in quo potissimum ingenium apparet, effingere interdum studuisse, multo saepius tamen ipse videtur sensisse, illud sibi deesse et quod a natura sibi denegatum esset, doctrina compensare se posse. Quae doctrina cernitur in studio, quo carmina rebus nominibusque cum ex omni disciplinarum genere tum ex mythologia petitis ornavit. Qua quidem in re non minus Homerum magistrum videtur habuisse, sed neque intellexit, illum quanto propius a fabulosa vetustate abesset tanto magis lectorum vel auditorum animos fabulis oblectasse, neque in his eligendis iudicium modumque adhibuit, aut si finem quem secutus sit spectamus, aviditati gloriae, quam in illarum enodatione et interpretatione assequi sibi videbatur, iudicium et elegantiam postposuit et grammaticus esse maluit quam poeta. Clarissimum poesis Callimachiae exemplum nobis praebet elegia quae est de coma Berenices, quam Catullus eti-

amsi non ad verbum expressit-hoc enim putare ipse nos vetat cum duos a scholiasta ad Arati phaenomena servatos versus hos:

ἥ με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
βόστρυχον, ὅν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς

quattuor versibus ita reddit:

idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
e Bereniceo vertice caesariem
fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
levia protendens brachia pollicita est —

at certe sententiis neque auxit neque minuit. Totum illius carminis argumentum, cum sit querimonia et desiderium comae a dominae vertice abscisae, est proprium quidem elegiae, obrutum tamen fabularum et exemplorum multitudine, quae poeta ex astronomia, mythologia, historia, geographia prompsit, ut carmen luminibus quasi ornaret. Et qualia sunt lumina illa, si quidem hoc nomine digna sunt? Ut de fictione ipsa taceam, qua usus Callimachus Berenicen, Ptolemaei regis uxorem, celebravit, quot versibus consumptis crinem in Veneris gremio tandem collocavit, occasione nimirum oblata vel potius arrepta rerum nominumque afferendorum, quae fortasse iam tum plerisque lectoribus ignota semper obscura manebunt, quamvis omnium temporum interpretes in iis explanandis operam perdiderint. Contra fabulam, quae est de Endymione a Luna consopito, venustissimam profecto et dulcissimam, poeta leviter tantum tangit, quippe quae aut nimis nota aut simplicior esset quam quae doctrinae ostentandae copiam praeberet. Quam inepti porro sunt versus hi:

sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est quem maximum in orbe
progenies Thiae clara supervehitur etc.

quae comparatio levissimae minimaeque rei cum maxima in comico quidem carmine summa vi et effectu in elegiaco tamen infaceta atque etiam ridicula est. Tales igitur Callimachi elegiae omnes fuisse putandae sunt, an censebimus, ceteras his vitiis vacavisse et Catullum adeo non elegantem fuisse, ut amico pessimam muneri mitteret? Contra hanc opinionem dicunt ipsae eius elegiae, quae quamquam non e Graecis expressae tamen magis minusve his ipsis vitiis inquinatae sunt. Ante omnes huc pertinet carmen illud ad Manium Allium [1]) scriptum (LXVIII), quod cum omnium proxime absit ab amatoria, qualem posteriores excoluerunt poesi, proprie antiquissima elegia Romana appellandum et vel ob hanc causam dignum est, quod accuratius cognoscamus. De nullo fere carmine viri docti adeo inter se dissentiunt quam de illo. Atque plurimi quidem recentioris aetatis interpretes censent, hanc elegiam in duas esse divellendam, quarum altera primos quadraginta versus altera reliquos contineat. Adducti autem sunt ad hanc opinionem et quod poeta in uno eodemque carmine fratrem mortuum bis fere iisdem verbis allocutus est et quod totum carminis argumentum videtur secum pugnare. Etenim cum Catullus in prima, quam illi seiungunt, parte ait carmina, quae Manius Allius ad animum recreandum petierat, se mittere non posse, quia ipse morte fratris adeo afflictus esset, ut nova componere nequiret, vetera autem Veronam, unde ad amicum scribit, non secum portasset, in altera sequitur carmen, quod modo poeta denegaverat. Equidem puto neutram earum, quas illi obiciunt, causam talem esse, ut ea offendamur, nedum tantam licentiam inde nobis sumamus, ut elegiam in duas divellamus. Ut primam, ad quam infra redeundum mihi erit, hic omittam, in altera non modo nihil offensionis sed magna elegantia poetica mihi videtur inesse. Quod enim poeta preces amici primum repudiavit simulatum est, quod vero tum continuo rogatum

1) quo de nomine sequor Lachmanni sententiam.

praestitit inde animus eius, ad quem scribitur, non minorem, quippe inexspectatam voluptatem fortasse cepit quam cuiusvis lectoris. Sed qui hanc poeticam elegantiam cognoscere vel agnoscere nolunt, meminerint, grammaticae tantum legibus neglectis utramque partem a Catullo paullo liberius coniunctam esse, sententiarum vero copulationem facile inveniri posse: „Ultro, inquit poeta (v. 40), deferrem tibi munera quae petis, si fieri posset; nam — facile addi potest — hanc gratiam tibi debeo, reticere enim non possum" et quae sequuntur. Quod vero poeta hanc planam sententiarum continuationem non satis accurate indicavit, vitione ei hoc tribuemus et ob hanc negligentiam eum magis vituperabimus quam Propertium, qui elegiam I, 8 sic orsus est:

„Tune igitur demens etc.

et aliam (I, 17):

Et merito, quaniam etc.

Non minus viri docti in aestimatione elegiae dissentiunt. Cum Gruppio, ut iam supra dixi, interpolatoris cuiusdam opus videatur esse quo nihil unquam vilius scriptum sit, Westphalius[1]) putat artificiosissime eam compositam esse carminum Pindaricorum exemplo ita ut *προοίμιον* contineatur versibus 41—50, *ἀρχή* vs. 51—72, *κατατροπή* vs. 73—86, *ὀμφαλός* 87—100, *μετακατατροπή* vs. 101—130, *σφραγίς* vs. 131—148, *ἐπίλογος* vs. 149—160, quarum partium eae, quae medium vel *ὀμφαλον* circumdant, argumento sibi respondeant. Verum, ni fallor, ut saepissime in medio est. Insunt enim in hoc carmine omnia illa vitia, quae e poesis Alexandrinae imitandae studio repetenda sunt, neque tamen desunt vestigia pulchritudinis et venustatis, cuius Catullus compos erat, ubi suum ipsius ingenium sequebatur. Ut primum de vitiis dicam offendimur initio quattuordecim versuum periodo, quae quamvis tam plana ac perspicua sit, ut ne optimum quidem oratorem eius pudendum sit, tamen a poesi tam aliena est quam orationum propria. Neque tamen elegia idcirco in eorum carminum numero referenda est, quae grammatici posterioris aetatis in scholis composuerunt, ut et ipsi se exercerent scribendo et exempla proponerent discipulis, sed quo tempore scripta sit, ipsa luculenter mihi videtur demonstrare. Fieri enim non potuit, quin poesis, quippe nondum adulta, tangeretur arte rhetorica, quae tum potissimum Ciceronis maxime et Hortensii opera florebat, praesertim cum Atticorum salubritate spreta Alexandrinorum exemplum sequeretur, qui ut nullius disciplinae ita ne rhetoricae quidem ornamenta repudiaverunt, quibus poesin fuco quasi illinerent. Cuius studii nescio an dicam vitii exempla tot offerunt elegiae Catullianae, ut hic ea enumerare longum sit. Multo autem magis perspicue quantopere Catullus ex Alexandrinis pendeat cognoscitur in carminis nostri digressionibus et comparationibus, quae eum quasi oblitum quo velit iterum atque iterum de proposito, quod est laudatio Allii, revocant. Orditur quidem Catullus exemplo epicorum ab allocutione musarum, sed deflectit a veterum usu, quod non invocat musas, ut sibi quae canat subiciant, sed se ipsum illis narrantem facit ceteris hominibus nuntianda. Quod quamquam a Catullo non inventum est sed iam ab Apollonio Rhodio usitatum, qui similiter musas hortatur (I, 20):

Νῦν δ' ἂν ἐγὼ γενεήν τε καὶ οὔνομα μυθησαίμην
Ἡρώων τε πόρους ἁλός, ὅσσα τ' ἔρεξαν
Πλαζόμενοι. Μοῦσαι δ' ὑποφήτορες εἶεν ἀοιδῆς.

tamen non est quaesitum, velut ab Alexandrino illo novitatis nimirum causa, sed, quoniam Catullus narraturus est non quod fando audivit sed quod sibi accidit, re ipsa commendatum et paene praeceptum. Tum poeta ut describat, ex quanta miseria Allii opera ereptus sit, tribus utitur exemplis, quorum duo amoris ardorem, tertium vim lacrimarum illustrat, et versu 63 iam ad propositum rediturus quartum addit, quo perditam suam conditionem complectitur. Deinde postquam bre-

---

1) in libro qui inscribitur: „Catulls Gedichte in ihrem geschichtlichen Zusammenhang übersetzt und erläutert.

viter indicavit, qua in re Allius ipsum adiuvisset, tam levi ut fere nulla nobis videatur esse similitudine, quae est inter Lesbiam suam et Laodamiam Protesilai amore flagrantem, perductus ab argumento ad longam digressionem aberrat, quae ipsa quater interrumpitur et lamentis, quibus poeta Troiae nomine appellato se dedit, et tribus exemplis, quae cum describant, quantus Laodamiae amor fuerit, illis respondent, quibus poeta antea suum ipsius amorem depinxerat. Reversus tandem ad se suamque Lesbiam finit totam elegiam ita ut inchoavit iterata laudatione Allii, qui amoris fruendi locum sibi dederit. Sic igitur artificiosa quaedam compositio negari quidem non potest, sed est ea tam quasita vel abscondita, ut non mirum sit, viros doctos ad diversissimas illas sententias ea inductos esse, cum rectius ni fallor referatur ad studium illud imitandi, cui poetam tantopere indulsisse videmus. Quo studio num Catullus et quatenus in singulis quoque vocabulis eligendis ductus sit, in tanta fragmentorum quae poetarum Alexandrinorum supersunt paucitate diiudicari non potest, tamen, ut unum afferam, fieri potuisse puto, ut cum carm. 68, 51 Amathusiam appellet d u p l i c e m, ante oculos ei obversata fuerit quae Graece vocatur *Ἀφροδίτη διπλοῦς*, hoc est *ἀνδρόγυνος*, neque tamen nego, d u p l i c e m multo simplicius explicari posse ita ut sit idem quod versutus, quo sensu Horatius quoque Ulixem appellat duplicem, praesertim cum Catullus paullo ante eandem Venerem dulcem amaritiem curis miscere dicat. Id tamen persuasum habeo, non licere huius imitationis investigandae nimis cupidum poetae plus affingere velut Vossius in versu: „nec tantum niveo gavisa est ulla columba“ pro ulla vacabulo pullam legendam esse putavit, cum historia naturalis doceret, pullas columbas cum albis improbiora oscula decerpere quam eiusdem coloris!

Porro in l e g i b u s quoque m e t r i c i s Catullum Alexandrinorum aemulum fuisse primum cognoscitur in vitanda illa caesura post tertium hexametri trochaeum, quam quasi molliorem iam veteres Graecorum poetae rarius vel ubi consulto quaerebant numerorum quandam mollitiem permiserant, Alexandrini vero, quippe qui essent magis versificatores quam poetae, prorsus repudiaverunt, tum in versibus spondaicis saepissime adhibitis apparet. Quamquam enim lingua Latina pro gravitate, quae in illa praevalet, a natura ipsa ad spondeos magis proclivis est quam ad dactylos, tamen poetae in hexametris componendis legem spondei a quinto pede excludendi a Graecis acceptam quantum poterant observabant. Catullus vero obsecutus Alexandrinis ne in ea quidem re naturae suae novitatis studiosae oblitis (velut in primo Callimachi hymno inter nonaginta sex versus quattuordecim inveniuntur spondaici) illam legem toties neglexit, ut consulto nec imprudenter eam violasse putandus sit. Quod si quis censeat, Catullum cum arte nondum satis firmata durioribus usus esset numeris tum spondeis quoque contra legem locum facere coactum esse, contra hanc opinionem dicit Lucretius, qui aetate vel prior Catullo illos tamen tam raro admisit, ut vix inter singula milia versuum senos septenosve spondaicos reperias, an putabimus illum deteriorem versuum artificem fuisse quam Lucretium? Accedit quod Catullus ipse se quoque legem observare potuisse ostendit carmine 62, in quo spondaicis prorsus abstinuit.

Proprietatum quae praeterea in elegiis Catullianis inveniuntur earumque maxima ex parte asperitatum causae partim aetati qua poeta vixit partim novitati carminum generis ab eo primo expressi tribuendae sunt. Atque in aetatem quidem Catulli incidit illa memoratu dignissima literarum conversio, qua factum est, ut poesis a rigida plerumque et rudi antiquitate ad novum eumque meliorem statum progrederetur, quo oratio soluta Ciceronis potissimum opera iam praeierat. Inter eos poetas, qui hunc progressum quantum poterant adiuvabant, Catullus quidem est, neque tamen sibi constans semper in hoc studio perseveravit, sed saepius ad pristinum statum relapsus est. Quantopere autem novae illi rationi voluntatique animo faverit ipsa Alexandrinorum imitatione testatur, qua in re illa maxime cernitur. Adde quod elisionem literae exeuntis s, cuius exempla in carmine Lucretii et in ipsius Ciceronis multa inveniuntur, uno loco (116, 8) excepto nunquam sibi permisit, alliterationem vero, cuius studio totum antiquum sermonem Latinum ita affectum videmus, ut ea

cum ipso sermone nata neque a scriptoribus inventa esse videatur, non prorsus quidem vitavit sed ad modicum usum repressit et certioribus adscriptam conditionibus usurpavit vel ludendi eludendive causa, quod fit in carmine XXV, vel ubi consulto vetustatis colorem effingere studebat, velut in carmine LXIII. Contra ex elisionum vel potius synaloepharum multitudine et ex vocum deminutivarum et audacter duplicatarum usu plane perspicitur, Catullum antiquitatis rigorem et asperitatem nondum prorsus exuisse. Quamquam vel in hac ipsa re poetam quid deceat iam sensisse apparet. Etenim cum in nugis illis, quales carmina minora ipse appellat, deminutivis intemperanter abusus sit, in elegiis modum quantum poterat adhibuit. Quae moderatio eo pluris aestimanda est, quia pertinet ad tales voces, quae, cum brevibus syllabis linguam, natura sua gravem, mollem liquidioremque reddant, optime plerumque in distichi numeros quadrant; quibus cum abstineret ademit sibi ipse aliqua ex parte facultatem versuum facilius faciendorum et auxit quodammodo difficultates, quae satis superque ipsi, quippe primo elegiarum scriptori, se obtulerunt. Distichon quidem ipsum Catullus non primus in poesin Latinam induxit, sed iam Ennius epigrammata eumque secuti alii velut Valerius Aedituus, Porcius Licinius, Q. Lutatius Catulus hoc metro scripserant carmina minora, qualia a Catullo quoque exstant et quae ab epigrammatis non multum distant, nondum tamen illud ita excultum erat, ut Catullus facile eo uti posset, et eo magis ei elaborandum erat, quod ne sermo quidem ipse iam ad novos insuetosque animi sensus affectusque elegiaci carminis proprios exprimendos praeparatus erat; quod fortasse non minus sensit quam Lucretius, qui (I, 137) queritur: Difficile illustrare Latinis versibus esse, Multa novis verbis praesertim cum sit agendum Propter egestatem linguae et rerum novitatem." Quid igitur mirum quod elegiae Catullianae nondum posteriorum poetarum lenitatem numerorumque concinnitatem sed duriora quaedam prae se ferunt; quid mirum quod in iis et singula verba et eorum comprehensio interdum magis solutae orationis indolem referunt quam astrictae? Huc pertinent, ut nonnulla afferam, praeter frequentem coniunctionum usum velut etsi, quod, quare, atqui, etiam talia quod cum sit, dixerit aliquis, hoc fit quod, alia. Qua in re aut fugit illum ars sententias potius verborum collocatione ipsa quam particulis connectendi, qua in arte mira illa facilitas sita est, qua omnium poetarum Ovidius maxime aures lectoris delectat, aut nimia cura, qualis tironum propria esse solet, eum perduxit, ut singula quam planissime copularet. Quae cura praeterea in ea potissimum re cognosci licet, quod poeta post digressiones semper eodem verbo repetito aut illius simillimo unde deflexit redire solet. Exempli gratia in carmine LXV versui „tantis fluctuat ipsa malis," quem sequitur digressio, respondet versus 15 „sed tamen in tantis maeroribus" et quae sq.; porro carminis LXVI versui 9 „quam cunctis illa deorum pollicita est" versus 33 „atque ibi me cunctis divis pollicita es"; eiusdem carminis versui 39 „invita tuo de vertice cessi" versus 76 „afore me a vertice dominae discrucior"; denique carminis LXVIII versui 19 „sed totum hoc studium fraterna mihi mors abstulit" respondet versus 25 „cuius ego interitu tota de mente fugavi haec studia".

Neque tamen illa cura et diligentia solum inopiae artis Catullianae testimonio est sed etiam poetae simplicitatis — de ea nimirum cogito, quae consulto omnia impedita et contorta defugit, ne idem aliis verbis me dicere arguar — qua nihil insignius est in eius natura atque indole; ad quam nunc transeamus. De qua eo brevius agi poterit, quod ea quantum in minoribus carminibus praevalet tantum in elegiis recedit; neque tamen prorsus praetereunda est, quia quae lumina in his insunt ad illam referenda sunt. Quantopere in poematis Catulli regnent animi motus et affectus, qui in irae odiique impetu non minus cernuntur quam in amoris et amicitiae, perspicue apparet, si nonum carmen illius comparamus cum Horatii carmine XXXVI libri primi. Utrumque enim de eadem quidem re agit sed quam diverse! Quae Catullus scripsit ea ex intimo laetitiaque exultante animo profecta sunt, Horatium mens et ratio versus facere videtur iussisse. Quam simplici pulchritudine est illius dubitatio, quam exprimit versibus his „venistine domum ad tuos penates fratresque una-

nimos senemque matrem" et quae sequitur primi congressus descriptio; quam frigida contra Horatii deliberatio, cui amicus reversus plura oscula daturus sit multoque frigidior enumeratio rerum ad epulas sollemnes necessariarum! Qua cum animi veritate cum fere semper sermonis simplicitas arte coniuncta sit, in minoribus Catulli carminibus nusquam vel ironia dissimulantiaque sententiarum vel verborum obscuritate vel denique ornamentis alte petitis offendimur. Talem poetam quantopere secum ipsum quasi pugnasse putemus, cum se conferret ad poesin Alexandrinorum, qui a sua ipsius natura diversissimi erant! Fieri non potuit, quin aut proprietate sua abiecta se totum ad illorum exempla applicaret aut sibi ipsi constans illa ita commutaret ut sibi convenirent. Quam ad commutationem ingenium Catulli non satis aptum aut — quod putare malim — non propensum videtur fuisse. Elegia enim ut apud Graecos, si originem et tempus quo floruit spectamus, inter poesin epicam et lyricam in medio posita est, ita utriusque generis argumenta et affectus, qui sunt animi tranquillitas et motus, commixta in se semper continuit, ita quidem, ut hi maiorem locum obtineant quam illa. Quibus quamquam ne Catullianae quidem elegiae vel potius illa, quae una proprie hoc nomine digna est, carmen LXVIII, caret sed multa et epica et lyrica in ea insunt, tamen epica, eaque plurima, non Catulli simplicitatem sed Alexandrinorum doctrinam redolent, lyrica vero quamvis per se pulchra et vere Catulliana tamen rara et tam parum cum illis confusa sunt, ut summa probabilitate utraque discernere possimus. Huc non refero neniam illam de morte fratris, in qua quamquam fere iisdem verbis in uno eodemque carmine ea repetita est, tamen adeo nihil offensionis inesse mihi videtur, ut quantopere Catullus simplicitatem adamaverit et in elegiis quoque quantum potuit reservare studuerit inde potissimum cognosci liceat, sed in animo habeo duos praecipue locos (LXVIII, 53 sq. et 109 sq.), ubi poeta ut ardorem atque vim amoris depingeret exempla cumulavit, quae inter se tam diversa sunt, ut vix unius esse possint. Quantopere enim frigent comparationes amoris semel cum aestu Aetnae montis et Thermopylarum, deinde cum barathro, quod Hercules ut aves Stymphalicas interficeret, fodisse dicitur! Quis censere dubitat has comparationes Alexandrinorum esse neque Catulli, quippe qui iis addat imagines tam vivas, ut e natura ipsa et vita quotidiana eas petitas esse appareat. Quid enim pulchrius cogitari potest quam versus hi: Maesta neque adsiduo tabescere lumina fletu Cessarent tristique imbre madere genae, Qualis in aerii perlucens vertice montis Rivus muscoso prosilit e lapide sq. Nam si imagines eas eligere, quae statim et tamquam praesentes lectoribus sub oculos cadant, magni poetae esse optime iure iudicatur, Catullus hoc nomine dignus est et facilius ei id ignoscimus, quod in illis dilatandis et per singula persequendis etiam talia affert, quae ab ipso comparationis momento absunt neque quicquam ad similitudinem declarandam habent momenti, quam quod iis tam raro locum concessit et multo saepius aliunde mutuatus est eas, quae suae ipsius elegantiae repugnant.

Sic, ut omnia complectar, causae cur in elegiis eam artem desideremus, quae minorum carminum propria est, mihi videntur repetendae esse partim ex illarum novitate, quae omnibus temporibus attulerit asperitates, quibus abstinere usus tantum et exercitatio docuerunt, partim e nimio Alexandrinorum studio, quod simplicitati, in qua semper summa poetarum laus posita est, paene prorsus offecit. Quodsi quis quaerat, quomodo fieri potuerit, ut Catullus iudicii sui quasi obliviscens Alexandrinorum exempla sequeretur, is meminerit, eos Catulli aetate tanta fuisse auctoritate, ut quomodo Romani antea a veteribus Graecis ita tum ab illis quid pulchrum et vere poeticum esset discendum esse putarent; et quo quis propius ad illorum artem accederet eo meliorem iudicandum esse poetam. Huc accedit, idque etiam magis eum excusat, quod intra Romanos non habebat quem imitandum sibi proponeret.

Veniamus nunc ad Tibullum. Cuius in arte describenda cur divisionem, qua supra usus sum, abiciam duplex est causa. Atque primum quidem auctoritas Alexandrinorum, qua Catullum prorsus ductum esse vidimus, ad Tibullum nihil pertinet neque usquam omnino in eius carminibus ullius

imitationis vestigia apparent; deinde quod tota poesis Tibulliana tam arte cum vitae eius rationibus cohaeret, ut ingenium poetae et naturam in illa mira similitudine expressam intueamur. In illam igitur solam inquiramus et ita quidem ut primum formam deinde argumenta spectemus et quantopere utraque re Catullum superaverit cognoscamus. In utra earum Tibullus plus valuerit difficile est diiudicatu. Quamquam enim constat, poetas aetatis Augusteae fere omnes, cum carmina scriberent, quae non tam in publico quam coram certis amicis eruditis legebantur, id potissimum egisse, ut versus quam elaboratissimi essent, tamen in Tibullo plus naturae videtur fuisse quam curae atque industriae ita ut existimatores, qui carmina illius aetatis ex formae elegantia et verborum magnificentia aestimare solent, apud eum plura inveniant in quibus conniveant quam apud ceteros poetas. Nam numeri eius magis perspicui sunt quam rotundi, sermo magis suavitate et iucunditate quam splendore, elocutio denique magis simplicitate quam ornamentis ingeniique argutiis animos legentium oblectant. Nihilo minus tamen Tibullus ob has ipsas virtutes, cum certum artificis morem modumque ostendant, ut Catullo multo praestat, ita optimis aureae aetatis poetis adnumerandus est. Sed ut singula persequar primum dicendum mihi erit de sermone.

Praecipua laus poetarum, qui Augusto regnante floruerunt, ea est, quod in verbis eligendis iis abstinuerunt, quae dissona et linguae naturae repugnantia videbantur esse. Itaque cum et multa eiusmodi a veteribus usurpata prorsus repudiarent neque nova fingerent et formarent, non mirum est cur in eorum poematis verborum supellex non tam copiosa sit quam antea fuerat. Idque polite et eleganter fecerunt. Nam cum lingua Graeca, nata quasi et adulta cum poesi, inde cum sonorum suavitatem et dulcedinem tum summam verborum duplicandorum facilitatem nacta est, Latina sine illa adiutrice per quinque fere saecula exculta minime ad hanc novandi copiam facultatemque apta est et si quae veteres poetae in hac re nimis audacter sibi permiserunt, ea posteriores qui elegantius scripserunt defugerunt, et iudices vituperaverunt. Sic Quintilianus I, 5, 70 „res, inquit, tota (scil. verba duplicare) magis Graecos decet, nobis minus succedit, ideoque cum κυρταυχένα miramur, incurvicervicum (Pacuvii) vix a risu defendimus.“ Ut igitur Cicero (orator XXXIII § 106) optimo iure se laudat, quod omnium oratorum primus ieiunas acceperit aures easque ad optime dicendi genus incredibili studio converterit, ita hanc laudem inter poetas sibi vindicare potuisse mihi videtur Tibullus, qui primus intellegeret, novatis illis verbis et sermoni vim quasi afferri et carminibus adeo non elegantiam conciliari, ut iis molestae quaedam duraeque adderentur sordes. Quod ne Vergilium quidem excipiam vereor ne arguar, neque tamen quod dixi indictum esse volo. Nam si non solum novata illa sed etiam quae omnino obsoleta videntur asperneri sermonis casti et mundi iudicatur esse, Tibulli orationem multo tersiorem esse constat quam ne dicam Catulli — quod non tanti est — sed etiam Vergilii et Horatii. Concedo quidem, cum color carminum epicorum et odarum alius sit quam elegiarum, illis quodammodo licuisse antiqua interdum sectari, quorum ipse sonus gravitatis aliquid habet, quam haec duo poematum genera proprie affectant, tamen abstinere iis debebant in iis carminibus, quae hanc gravitatem magis fugiunt quam quaerunt, in georgicis et sermonibus. Atqui ne haec quidem illis vacant. Huc pertinent — ut nonnulla afferam — primae declinationis genitivi pluralis inusitate contracti in ûm pro arum, velut iam apud Catullum legimus caelicolum pro caelicolarum, idemque apud Vergilium, tum quartae declinationis dativus in u contractus (Vergil. georg. IV, 158, eclog. 5, 29), quintae declinationis genitivus et dativus in e exeuntes (Vergil. georg. I, 208, Hor. serm. I. 3, 95, Ov. metam. VII, 728), ex coniugatione erepsemus pro erepsissemus (Hor. serm. I, 5, 79) percusti pro percussisti (serm. II, 3, 273), evasti pro evasisti (serm. II, 7. 68), ut iam Catullus luxisti, trivisti, siveris contraxerat in luxti, tristi, siris (LXVI, 21, 30, 91), deinde infinitivus praesentis passivi syllaba ier terminatus, velut componier apud Catullum (LXVIII, 141) miscerier apud Vergilium (georg. I, 454), mercarier et torquerier apud Horatium (serm. II, 3, 24; II, 8, 67), infinitivus denique perfecti activi

inusitate contractus, ut surrexe apud Horatium (serm. I, 9, 73). Nihil eiusmodi apud Tibullum invenies. Nec minus cautus fuit in graecismis, quos vocant, usurpandis. Atque primum quidem poetarum Graecorum est, adiectivum neutrum plurale coniungere cum genitivo substantivi, ut apud Sophoclem in Antigona 209 legimus ἄσημα βοῆς pro ἄσημος βοή et v. 1265 ἄνολβα βουλευμάτων pro ἄνολβα βουλεύματα. Hanc loquendi consuetudinem poetae Latini non raro imitati sunt, ut Lucretius scripsit clausa domorum pro clausae domus (I, 354) strata viarum (IV, 415) multa alia, et post eum Horatius imprimis, velut amara curarum (od. IV, 12,19), cuncta terrarum (od. II, 1, 23), vilia rerum (epist. I, 17, 21), Propertius (IV, 9, 7) omnia rerum, alii alia. Tibullianum vero devia montis, quod unum similiter dictum videtur in eleg. IV, 3, 2 huc referre dubito et ea figura, quae ellipsis vocatur, malim interpretari ita ut substantivum loca intellegendum sit. Certo autem, cum scriberet (I, 4, 69): et tercentenas erroribus expleat urbis" et. (I, 3, 53): quod si fatales iam nunc explevimus annos" imitando effinxisse videtur Graecorum ἐκπληροῦν δρόμους, ἐνιαυτούς. Ad eosdem referendum esse puto rarum illum dicendi modum: me mea paupertas vita traducat inerti (I, 1, 5), quem versum nos ita vertere possumus: „mich möge meine Armut in Müssiggang hinleben lassen". Ita enim Graeci usi sunt verbo διάγειν, velut Sophocles in Electra 782: χρόνος διῆγέ μ' αἰὲν ὡς θανουμένην. Hoc autem modo ablativus vita facilius et aptius explicatur quam dativus vitae, quem plerique interpretes ex libris nonnullis manuscriptis sumpserunt et ne verbo traducendi demonstratio finis deesset retinuerunt. Accusativus deinde, quem grammatici appellant graecum, apud Tibullum frequens quidem, tamen certis circumscriptus est finibus ita ut cum participio perfecti passivi, nunquam cum adiectivo iungatur, cuius participii saepius quam aliorum passivi modorum reflexiva quae vocatur significatio videtur fuisse, unde fit ut audacia, quae in hoc accusativi usu est, aliquantum minuatur. (vide I, 1, 70; 2, 3; 3, 31, 69, 91; 6, 18, 49 al.). Sed an liberior ille usus perfecti, quo id quod fieri solet exprimitur, cuiusque exemplum apud Tibullum est in el. II, 1, 73

„hic iuveni detraxit opes hic dicere iussit,"

Graecorum tantum qui aoristo gnomico hoc sensu usi sunt, nec potius aliarum quoque linguarum propria loquendi consuetudo iudicandus sit nescio, id vero constat, infinitivum illius temporis a Latinis primum poetis et quidem inter elegiacos a Tibullo sine illa significatione sed metri tantum causa usurpatum esse. Errat igitur Dissenius (ad versum I, 1, 46), qui illum infinitivi perfecti usum antiquum putat et iam in inscriptionibus et legibus veteribus velut in senatus consulto de Bacchanalibus legisse sibi videtur. Ibi enim cum tantum in iis enunciatis inveniatur, in quibus aliquid vetatur aut iubetur, non antiquus est sed apud multos omnium temporum scriptores legitur et ex propria quadam verborum, quae sunt velle et nolle, unde sententiae illae pendent, notione facile explicatur (Madwig opusc. II, 124). Tibullus autem et post eum ceteri poetae elegiaci cum illo infinitivo perfecti in uno eodemque enunciato iuxta infinitivum praesentis (vide Tib. I, 9, 63, 64; 10, 61, 62; II, 1, 40, 42; 3, 13, 14) et fere semper eodem versus loco uterentur, hoc est penultimo pentametri, sequente verbo iambico (vide Tib. I, 1, 30, 46, 74; 2, 28, 52; 4, 48, 56; 6, 24, 52, 64, 74; 7, 24; 8, 26, 70; 9, 60, 64; 10, 62 saepius) perspicuum est, eum utpote qui ad alterum pentametri hemistichium conformandum maxime idoneus esset, ex metri necessitate ortum esse. Infinitivum deinde, quo liberius uti poetae Latini didicerant a Graecis, Tibullus caute et modice contra communem sermonis consuetudinem adhibuit et quidem ter eum coniunxit cum adiectivo doctus (I, 7, 20, 28; 9, 37), semel sum verbo dare (I, 8, 56), bis cum verbo substantivo esse, ubi exspectamus contingere sequente particula ut (I, 6, 24; IV, 3, 3). Tum imperativum illum negativum, qui fit ope verborum mittere, parcere, fugere, similium, semel usurpavit I, 4, 9: „o fuge te tenerae puerorum credere turbae." In constructione, quae accusativus cum infinitivo vocatur, Graecorum more pronomen omittere non veritus est ne tum quidem, cum subiectum primariae

sententiae aliud est atque secundariae, salva tamen, ut semper, orationis perspicuitate (I, 6, 71; II, 4, 53), non vero in eadem constructione eo licentiae progressus est, ut pro infinitivo uteretur participio velut Vergilius in georg. II, 510 „gaudent perfusi sanguine fratrum“ pro se perfusos esse, itemque in Aen. X, 500 et Horatius in carm. III, 4, 73. In modorum denique et temporum usu quod non semper leges grammaticas severe observavit, velut I, 4, 63; 8, 22; II, 4, 7, et omnino poetarum est et excusatur eo quod in sententiis conditionalibus et optativis, in quibus solis hoc sibi sumpsit, mens facilius a re ficta ad veram et a praeterita ad praesentem transire solet. — Haud igitur saepe Tibullus a communi loquendi usu recessit, neque tamen videtur ignorasse, elegiam cum pertineat ad sensus affectusque exprimendos, qui non raro certum repudiant ordinem, naturalem quandam negligentiam non male decere, cui eo libentius indulsit, ubi postulabat metri necessitas, qua vel optimos poetas nonnunquam coactos fuisse negari non potest. Hoc autem modo etiam figurae quaedam verborum mihi videntur explicari posse, quae ab iis, qui in arte poetarum aestimanda nimii sunt, ad ornatum a poetis diligenter quaesitum referri solent. Quis autem in versu I, 2, 86 „et miserum sancto tundere poste caput“ per hypallagen, quae figura fit cum duo casus ab eodem verbo pendentes inter se permutantur, poetam esse locutum putat nec potius si per metrum licuisset: misero capite postem tundere sanctum? Aliud huius figurae exemplum vel Scaliger, vir doctissimus, in versu I, 7, 16 „frigidus intonsos Taurus arat Cilicas“ invenisse sibi visus ita interpretatus est tanquam dictum esset pro: frigidum Taurum intonsi Cilices arant; ubi iam diu Itali subtilioris plerumque iudicii interpretes et emendatores, cum intellegerent hanc audaciam a Tibulliana simplicitate alienam esse, pro verbo arat scripserunt alat. Neque aliter ortam esse censeo illam figuram, quam Graeci ἀπὸ κοινοῦ appellant, cuiusque exempla apud Tibullum haec inveniuntur I, 1, 51; 4, 2; 5, 34; 6, 81; 8, 2; I, 2, 40; II, 5, 22; 6, 23. Sunt quidem qui putent, illam figuram a poetis consulto usurpatam esse et ita explicandam ut vocabulum, quod ἀπὸ κοινοῦ ponitur, mente dupliciter intellegendum sit et, ut exemplo utar, „hanc animo gaudente vident iuvenumque catervae commemorant“ Tibullus dixerit pro „hanc animo gaudente vident iuvenum catervae iuvenumque catervae commemorant.“ Nonne vero facilius est opinari, poetam numerorum inopia coactum verba paullo liberius collocasse, cum collocare deberet „hanc animo gaudente vident commemorantque iuvenum catervae“? Quae opinio fulcitur eo quod Tibullus omnium poetarum in verborum collocatione fere liberrimus est. Quis enim ordinem audacius invertit quam ille, velut in versu „Albaque ab Ascanio condita longa duce“ vel in alio: „quidquid erat medicae vicerat artis amor“ saepius.

Sed ne ita quidem laudem simplicitatis atque perspicuitatis, quam in carminibus eius maxime admiramur, imminui velim. Etenim cum hanc sibi imponeret legem, ut distichis singulis singulas concluderet sententias, certe licuit, intra eorum fines liberius se gerere, neque tamen ita ut oratio occaecetur et sensus oriatur vel ambiguus vel absurdus. Huc accedit, quod nobis, quorum lingua literis illis syllabisque, quibus affixis singuli declinationis casus discernuntur, magna ex parte amissis, certas postulat leges collocationis, permultum videtur audacius, quod Romanorum aures vix offendisse putandum est. Ad metri necessitatem, ut eo redeam, in qua interdum causas figurarum inesse censeo, praeterea exempla nonnulla ellipsis quae vocatur referenda mihi videntur esse. Non dico ellipsin verbi substantivi esse (I, 3, 49; II, 3, 29; 5, 107; IV, 6, 10) vel particulae optativae utinam (I, 10, 11) vel denique substantivorum (I, 1, 38; 10, 43), quae omnes leviores sunt et ne ab optimis quidem orationis solutae scriptoribus fugiuntur, sed eam dico, quae fit cum adverbia cum substantivis ita coniunguntur, ut participium aliquod mente intellegendum sit ut in versu „concubitusque tuos furtim vittasque iacentes“, ubi Graeci dixissent εὐνὰς τὰς λάθρα οὔσας. Quis dubitat, quin Tibullus hic adiectivo furtivus, quod cum omnibus poetis tum ipsi usitatum est, usus fuisset, nisi metro servire coactus esset. Per eandem ellipsin saepius poeta praepositionem ante posuit (I, 10, 68; II, 1, 24, 78; 6, 24; I, 2, 67) idque — quod certe non casu factum est — sem-

per in paenultima pentametri sede, cuius ipsius gratia Tibullum aliquid sibi sumpsisse iam supra vidimus. Quid? quod in eodem loco saepissime nobis occurrunt pronomina ille et ipse, quae relativo pronomine plerumque antecedente supervacanea nonnunquam et pedestri magis sermoni apta quam poesi videntur esse (vide I, 2, 56, 58; 4, 52, 72; 5, 18; 8, 48; 10, 2; 6, 28; II, 1, 70; 3, 26; 4, 26, 36, 60; IV, 13, 8). Imperiti igitur est opinari, bonum poetam nunquam numerorum necessitate debere cogi, atque etiam ornatum consulto arcessitum in iis deprehendere rebus, quibus poeta illam contegere studuit.

Quod si detrahimus de arte Tibulli, satis superque reliquum est, unde quantum ille profecerit cognosci liceat.

Atque primum quidem cum id sibi praecepisset, quod iam supra leviter attigi, ut disticho plerumque uno terminaret periodum, imposucrat sibi legem incommodam quidem — quid enim molestius est quam in doloribus vel quibuscunque animi commotionibus certam sermonis aequalitatem observare, quae illis vehementer repugnat — tamen naturae quasi distichi tam aptam atque propriam, ut singularem legitimamque elegiarum normam invenisse putandus sit. Etenim cum numeri illarum exprimant fontis imaginem, cuius aqua in altum expulsa in se cadit et absorbetur, quod Schillerus nostras optime ita descripsit:

„Im Hexameter steigt des Springquells flüssige Säule,
Im Pentameter drauf fällt sie melodisch herab“

Tibullus legem illam secutus cum toto carmine tum singulis distichis fluctuantis animi motus, quibus amantes agitari solent, optime imitatus est. Qua ex parte si eum comparamus cum Catullo, qui non solum periodos amat sed etiam parum cavet, ne intra disticha ipsa fines sententiarum ac numerorum vehementer discrepent, hunc videmus tironem, cui aliae satis et sermonis et metri obstabant difficultates, quominus legem illam invenire posset, aut si iam inventa erat accipere vellet, illum autem poetam esse tam artificem ut salva ubique simplicitate quae cogitabat ea accuratissime scriberet et animi perturbationum vehementiam atque vim numerorum sermonisque vinculis quasi coërceret. Ex eiusdem illius legis observantia orta est sermonis Tibulliani proprietas, quam, cum huc melius pertineat, supra omisi. Etenim cum in tanta sententiarum brevitate saepius quam Catullus indigeat particulis, quibus singulae connectantur, has vero identidem repetere cum incommodum et molestum tum a poesi maxime alienum sit, ad alias confugere rationes coactus erat. Quarum usitatissima eaque simplicissima est anaphora seu figura ea, quae fit eiusdem verbi in sententiarum principiis repetitione, qua eo libentius usus est quia, cum magnam vim habeat ad exprimendum animum vel molliter vel graviter commotum, elegiae maxime propria est. Hanc vero a Tibullo non unius ornamenti causa adhibitam esse sed popularem quasi fuisse inde apparet, quod vel in carminibus Homericis, quorum auctor certe non cupidus erat figurarum, saepissime invenitur. (Iliad. β, 671, 837, 850, ζ, 154, 396, η, 138, μ, 96, σ. 399, υ, 372, φ, 86, χ, 128). Minime igitur Paldamo[1]) assentior, qui in hac frequenti repetitione cum aliorum vocabulorum tum pronominum ille et ipse, iam per se, ut ait, admodum significantium, rhetoricae aliquid artis reperisse sibi visus est. In animo fortasse habuit etiam particulam advevsativam at, quae tam frequens est, ut si semper eam vim haberet, quam Paldamus pronominibus illis tribuit quamque in soluta oratione sane habere solet, paene fastidium lectorum animis afferret. Cum vero rarissime logicam, ut ita dicam, habeat vim sed id tantum plerumque valeat, ut sine ulla adversativa notione aliam imaginis partem alii opponat, ut in praeclarissima illa elysii descriptione I, 3, 63 et saepissime, frequentia eius non magis offendimur quam in Iliade et Odyssea particula ἀλλά. Nude igitur et fere Homerica simplicitate Tibullus disticha connexuit ita ut perspicuitati magis quam elegantiae studuisse videatur.

1) in libro, qui inscribitur „Die Römische Erotik.“

Quam vero sprevit artem in sententiarum copulatione eam in ipsis distichis componendis mire adhibuit. Quem ad finem si contemplamur primos primae elegiae versus hos:

„Divitias alius fulvo sibi congerat auro
et teneat culti iugera multa soli,
quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
me mea paupertas vita traducat inerti,
dum meus adsiduo luceat igne focus."

apparet, sententias esse ita bipartitas, ut si verba spectamus, singulae partes singulis contineantur versibus, si sensum, in secunda parte fere idem vel aliquid simile aliis tantum verbis dicatur quod in prima. Eiusmodi autem partitio, quam parallelismum appellare mihi liceat, in Tibulli carminibus usitatissima, plerumque fit aut ope particularum et, vel si quid negatur nec sive aut velut I, 1, 26, 30, 38, 64, 72; 2, 26; 3, 22 al., aut particularum seu velut I, 1, 12; 2, 17 al., aut denique anaphorae idque saepissime velut I, 1, 60; 2, 20, 30, 48, 50, 52. Multo rarius sententia hexametri in pentametro ita absolvitur, ut causa illius addatur, quod ubi fit particula plerumque omittitur velut I, 1, 70; 2, 88; 4, 36, 40, 58; 5, 70, 76 al. Haec duo partitionis genera ubique in Tibulli carminibus inveniuntur. Ob paucos autem locos, qui utroque carent, ut distichum:

sed canis aestivos ortus vitare sub umbra
arboris ad rivos praetereuntis aquae

artificiosam illam distichorum structuram ab eo abiudicare non minus absurdum esset quam Catullo adiudicare, qui interdum ea usus sit, velut in carm. LXVI, 1, 2:

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
qui stellarnm ortus comperit atque obitus

sed putandum est, Tibullum artem, quam natura quasi ipsa distichi obviam ferebat, si non invenisse at certe primum lege devinxisse, quam Catullus forte casuque iam antea adhibuerat. Idem de pentametris statuendum est. Neminem enim fugere potest, in illis si duo substantiva cum duobus adiectivis coniuncta sunt, quod saepissime fit, ea ita esse collocata ut haec antecedant, illa inverso ordine sequantur, velut in prima elegia:

v. 4. meus adsiduo . . igne focus
v. 8. facili grandia poma manu
v. 10. pleno pinguia musta lacu
v. 12. vetus florea serta lapis.

Quid vero poeta hac collocationis arte assecutus est? Primum effugit suspicionem, quae facile epithetis, molestis plerumque sermoni et si subiciantur supervacaneis, movetur, se ob nullam aliam causam quam ut metrum expleret illis usum esse et orationem non tam ornavisse quam oneravisse, tum effecit id, ut lectoris vel auditoris animi contentio atque exspectatio, quae fit epithetorum ope, non prius quam sententia absolvatur suspensa esse desinat et substantivis per chiasmum collocatis aliter atque exspectatur relaxetur. Quam artem non casui sed consilio atque industriae esse tribuendam ex frequentia exemplorum non minus certo conici potest quam ex paucitate eorum, quae in Catulli carminibus occurrunt, huic illam ignotam fuisse. Quotiescunque autem Tibullus alium substantivorum adiectivorumque ordinem instituit, tamen nunquam sui ipsius tam dissimilis fuit, ut talem componeret pentametrum, qualis est Catullianus LXVIII, 78:

unguenti Syrii milia multa bibi

qui arte, quam modo exposui, prorsus caret.

Idem ille versus offert occasionem ad metricam transeundi partem, qua quantum Tibullus superaverit Catullum nunc accuratius inquiramus. Etenim cum ea vocabula, quae in caesura et exitu

pentametri posita sunt, omnium maxime aures feriant, assonantiam vel ut Graeci dicunt ὁμοιοτέλευτον, quod saepissime illis efficitur, poetae non prorsus quidem vitaverunt at certe, quo quis perfectior erat in versibus scribendis, eo magis certis adstrinxerunt legibus, quas Lachmannus ad Propertium pag. 23 summo acumine primus observavit. In versu autem illo Catulliano, quem modo attuli, id est assonantiae genus, quod Catullus quidem et qui negligentiores erant poetae permissum putaverunt — exstat enim apud eum praeter illud exemplum etiam hoc: pristina vota novo munere dissoluo (LXVI, 38) — Tibullus tamen, utpote qui elegantissime versus componeret, anxie fugit. — Sed ab his minutiis transeamus ad graviora. Atque primum quidem elisionum multitudo in Catulli elegiis tanta est, ut fere suspicio exsistat, eum non tam nequivisse quam noluisse eas vitare. Et profecto cum veteres poetae, Plautus imprimis et Terentius nondum sensisse videantur, numerorum duritiam illis afferri, Catullus, quem multis ex partibus ab illorum aetate propius abesse vidimus quam ab aetate quae appellatur aurea, in hac quoque re rudius agrestiusque aurium iudicium cum illis communicasse putandus est. Sunt autem, ut singula persequar, diversa elisionis genera. Quamquam enim eam in quovis vocabulo locum habere posse constat, tamen non in omnibus pari frequentia admissa est. Et in iambicis vocabulis elidendis omnium maxima videtur fuisse cautio. Nam cum Tibullus, si excipias eos locos, ubi in pentametrorum exitu (I, 4, 4; 10, 4; II, 6, 10, 44; IV, 4, 16) semelque in medio hexametro (IV, 4, 7) cum iambicis collisit verbum est, in quo dubitari videtur non posse, quin e litera suppressa fuerit ita ut cum antecedente in unum coalesceret, his igitur exceptis ab ea elisione omnino abstinuit, vel ipse Catullus in elegiis ei bis tantum locum concessit: LXVI, 27 „anne bonum oblita es“ et LXVIII, 90 „Troia virum et“, et cum Tibullo (I, 5, 53 „et tantum venerata virum, hunc sedula curet) hiatum elisioni praetulit LXVI, 11 „qua rex tempestate novo auctus hymenaeo“. Neque vero is tam cautus fuit in ceteris vocabulis elidendis. Et spondaica quidem in thesi vel in brevi syllaba elisa inveniuntur haec: LXV, 8 nunquam ego, LXVI, 36 captam Asiam, LXVI, 77 quicum ego, LXVII, 19 primum igitur, LXVII, 40 tantum operire; tum cretica haec: LXVI, 27 regium adepta, 43, maximum in orbe, LXVII, 31 cognitum habere, LXVIII, 3 naufragum ut, 4, sublevem et; quae tamen omnia quodammodo excusari possunt levitate literae m, quae, quemadmodum ait Quintilianus IX, 4, 10, ante vocem a vocali incipientem obscuratur et tantum aliqua inter duas vocales nota est, ne ipsae coëant;“ vitiosa autem sunt haec: LXVIII, 40 ultro ego et LXVI, 59 ardui ibi. Pauca eiusmodi quae in Tibulli carminibus leguntur aliquid excusationis habent et quidem illud „vidi ego“ (I, 2. 89), quia formula quaedam est, alterum „illi etiam“ (II, 1, 41) quia vocabulum etiam litera i pinguiore facta facile bisyllabum fieri potuit, qua ipsa ratione poetarum Graecorum Αἰγύπτιος, ubi invenitur in numeris dactylicis facile explicari potest, nisi positione neglecta tetrasyllabum legere malumus. Monosyllaborum denique longam vocalem in brevi syllaba elidere Catullus semel sibi permisit: LXVI, 25 „at te ego certe“ et bis non tam vitiose monosyllaba in literam m exeuntia LXVIII, 37 „quod cum ita sit“ et v. 87 nam tum Helenae“, nusquam Tibullus. Neque minus anxie hic elisionem certis versuum sedibus continuit. Quia enim, ut L. Müllerus optime exposuit in quarto capite libri, quem de re metrica scripsit, simplicis iudicii elegantia iubeatur ab ea abstineri et in iis vocibus, quas metri causa oporteat discerni et ubicunque veloci et expedito opus sit numero, Tibullus summae elegantiae studiosus in caesura nunquam, parce circa fines versuum eam admisit et quidem in quinto hexametri pede octies (I, 5, 39, 57; 6, 85; 9, 53, 77; II, 4, 17, 53; IV, 2, 23), nunquam in sexto, exceptis nimirum iis locis, ubi verbum est cum vocabulo antecedente non tam elisionem efficit quam coalescit ut supra vidimus; in ultimo pentametri pede semel II, 4, 58 ab inguine equae. Catullus autem in elisionibus quidem circa fines versuum admittendis non minus cautus quam ille tamen caesuram depravare non veritus est quinquies: LXVII, 44 speraret nec linguam esse nec auriculam; praeterea LXVIII, 10, 56, 82, 90. Ne in prima quidem arsi elisionem bene locum habere posse

hic non videtur sensisse, elisit enim eo loco ter: LXV, 22 dum adventu, LXVII, 30 qui ipse, LXVIII, 14 ne amplius.

Caesuram deinde eam, quae est post tertium trochaeum, vitare Catullus iam ab Alexandrinis doctus semel tantum in elegiis de hac severitate remisit LXVIII, 29 „quod tibi non utriusque petenti copia facta est.“ Nam de iis versibus, in quibus illa videtur inesse, aliter esse statuendum me nuper ex praeclaro illo L. Mülleri libro cognovisse libere profiteor. Atque ante omnes huc pertinet LXVI, 35

„si reditum tetulisset. is haut in tempore longo“,

cui illam trochaicam caesuram eo minus tribuere dubitaveram, quod post eundem illum trochaeum gravis sententiae distinctio est. Cum vero, ut ait L. Müllerus pag. 188, Romani poetae metri rationes ubique potiores habuerint quam sensus et caesuram hephthemimerin ut arcano artis propriae modulo atque adeo gravitati indolis suae ipsorum totius respondentem adamaverint“, in versu illo Catulliano nulla interpunctionis ratione habita caesuram eam quae est post quartam arsin ponendam esse puto, praesertim cum non desit trithemimeris, quae plerumque cum illa coniuncta esse solet, et sic igitur esse legendum:

si reditum | tetulisset. is haut | in tempore longo.

Quae sententia non parum mihi videtur confirmari versu Catulliano hoc: „qua re tempestate novo auctus hymenaeo“, in quo si distinguimus post quartam arsin hiatus ille molestus praeter veniam, quam, ut supra vidimus, a metu verbi iambici elidendi nanciscitur, etiam plus excusationis habet. De alio deinde versu ut demere possimus caesuram illam trochaicam a Mauricio Hauptio dissentire cogimur, qui LXVI, 41 ita legit: „digna ferat quod siquis inaniter adiurarit“, quem ita legi mālim ut vocabulo siquis disiuncto post coniunctionem si legitima exsistat caesura penthemimeris. Severitatem illam, quae apud Catullum ex imitatione Alexandrinorum videtur orta esse, Tibullus arte magis et ratione usus sibi imposuisse putandus est, cum intellegeret, muliebri illa caesura versui conciliari volubilitatem, quae a gravitate sermonis Latini admodum discrepet. Nullum enim exemplum apud eum invenies si versus duos hos: „quisquis amore tenetur, eat | tutusque sacerque“ (I, 2, 27) et „desine dissimulare: deus | crudelius urit“ (I, 8, 7) eo quem supra exposui modo incisos esse putabis.

In numeris denique sive in apta dispositione connexuque verborum, quibus mixtis et confusis illi constant, Tibullus primum ea re profecit, quod a fine hexametri longiora exclusit vocabula. Etenim cum ut supra vidimus, circa exitum versuum numeros expedite cadere oporteat parumque deceat, eos incrementum et vim quasi capere ubi decrescere debent, Tibullus subtili cum iudicio versus finire veritus est non solum iis vocabulis, quae spondaicum efficiunt exitum, qualia inveniuntur apud Catullum haec LXVI, 3 obscuretur, v. 41, adiurarit; v. 61, fulgeremus, LXVIII, 65 implorata, sed etiam aliis non tam vitiosis ut hymenaeo LXVI, 11, Laodamia LXVIII, 105. Eadem illa verborum numerorumque discrepantia fit ubi hexameter finitur vocabulo monosyllabo antecedente polysyllabo, non quidem ob huius amplitudinem sed ob gravem quem ab illo monosyllabo accipit accentum, ut in versu Catulliano LXVI, 63 „uvidulam a fletu cedentem ad templa deum me“ et praeterea LXVI, 91, LXVIII, 19, 33. Minus durus Romanorum auribus videtur fuisse duorum monosyllaborum in unum quasi coalescentium exitus, quem ne Tibullus quidem vitavit, ut in versu hoc: carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint I, 4, 63. Optime autem hexametrum concludi putabant vocabulo dactylico sequente spondaico (trochaico) vel bacchiaco antecedente trochaico; quam quidem normam ille fere ubique observavit, vide primae elegiae versus 1, 3, 7, 9, 13, 15, 19, 21, 23, 25, 27, 39, 47, 49, 55, 57, 59, 61, 65, 67, 73, 75. In pentametro deinde componendo Tibullus haud ita ut in hexametro ultro artem Catullianam progressus est. Ut enim taceam de primo illius hemistichio, quod uterque ita conformaverunt, ut spondeus saepius excipiat dactylum quam

antecedat, alterius hemistichii optimam formam Ovidius demum si non invenit at certe lege constituit. Is enim primus atque solus cum intellegeret, numerum illius vocabulo trisyllabo in fine posito nimis vehementer, monosyllabo nimis abrupte cadere, id sibi praecepit, ut semper pentametrum finiret bisyllabo. Quam legem a Tibullo nondum observatam quidem fuisse constat, quamvis quondam emendatores illam ei vindicare studuerint, tamen qui numerum versuum, iu quibus violata ea est, comparet cum numero Catullianorum eum fugere non potest, illum, naturali magis sensu ducente quam arte, aliquantum profecisse. Nam cum inter mille trecentos sexaginta quattuor qui omnino leguntur versus quadraginta tantum septem alio atque bisyllabo finivit vocabulo, Catullus qui trecentos viginti sex versus elegiaco numero composuit, exceptis nimirum ut semper epigrammatis, duodecenties a norma ut ita dicam legitima deflexit.

Restat ut quantum argumentis inter se differant elegiae Tibullianae et Catullianae exponam. Ut vero ei qui in arte aliquaproficere studet, id potissimum agendum est, ut priorum vitia devitet sic Tibullus cum ad elegias scribendas accederet, primum suum ipsius iudicium libere sequi maluit quam Alexandrinorum, quorum imitationem poesi plus nocere quam prodesse exemplo Catulliano edoctus erat. Quae libertas primum inde cognoscitur, quod fere anxie fugit omnem doctrinam, quae apud Catullum in fabulis exemplisque longius petitis parumque ad ipsum argumentum aptis cerni poterat. Dicat fortasse quispiam, a Tibullo quoque Ixionis, Tityi, Tantali, Danaidum, Admeti eiusque servi Apollinis, aliorum heroum mentionem fieri. Sed illi in praeclara Tartarorum descriptione (I, 3, 59 sq.) ultro quasi poetae se offerebant et omnibus tam noti erant, ut nemo qui de inferis audiret; de illis non cogitaret. Admeti autem Apollinisque fabula ita argumento carminis (II, 3) intexta est. Poeta derelictus a puella sua, quae cum divitiore rus abiit, solum se in urbe manere posse negat, at si illam adspicere posset, veriturum se non esse profitetur, curvum aratrum sectari, dum boves subigant arva, neque questurum, quod sol graciles exuat artus et pustula manus teneras laedat; quoniam ne Apollo quidem Admeti boves pascere dubitaverit ut amore frui posset. Num quid aptius cogitari potest, quocum poeta se componere potuerit? Quam inepte contra Catullus Lesbiae suae amorem, vehementem quidem raro tamen sibi concessum, cum eo comparat, quo Laodamia quondam et Protesilaus incensi, breviter tantum frui potuerunt, tamque fuse et copiose, ut et omnis si qua fuit similitudo desinat esse atque etiam fabula inserta medium contineat carmen. Fateor quidem, Tibullum quoque in imagine illa dilatanda paullo longius digressum esse et commemorationem casei non modo nobis displicere sed etiam risum movere. Tamen ille excusatione non caret primum quod, ut infra videbimus, vitam rusticam praecipue adamavit, deinde quod cum veterum mores et ingenium alia fuerint atque nostra, non omnia quae nobis displicent illis quoque displicuisse putanda sunt. Etenim cum constet, omnes populos antiquos, ne eruditissimis quidem exceptis naturae admiratores cultoresque fuisse, quid mirum cur poetae inde potissimum sine delectu interdum ut videtur exempla petiverint et in singulis persequendis adeo delectati sint, ut propositi prorsus obliti esse videantur. Si igitur non est cur suspendamus naso quod Homerus Aiacem Troianis instantibus lente gradatimque se recipientem cum asino segniter ingrediente comparat, vel quod Ovidius, ut describat quomodo ex capite diminuto cerebrum effluat, casei formandi rationem arcessit accurateque depingit, cur vituperabimus Tibullum propter hoc unum longioris digressionis exemplum, cum in ceteris ei studuerit brevitati, quam Lucianus in libro qui est de historia scribenda, ubi Parthenium, Euphorionem, Callimachum ob doctrinae ostentationem vituperat, Homero tribuit. Eum enim ait Tantali, Ixionis, Tityi fabulam breviter attingere quam illi et, quem addi velim, Catullus illorum imitator, si carminibus suis intexere proposuissent, permultis consumptis versibus tractaturi fuissent. Nec minus bene de poesi elegiaca excolenda meritus est Tibullus quod primus argumentum constituit et terminis quasi circumscripsit. Id enim carminum genus iam apud Graecos admodum ambiguum fuisse et eodem nomine diversa comprehendisse poemata, quibus

mihil nisi metrum commune erat, et ex veterum definitionum discrepantia et ex elegiarum Graecarum reliquiis intellegi potest. Et quidem cum Attici hoc metro uterentur ad epigrammata et talia eligidia scribenda, quibus magis monere et docere quam delectare cupiebant, ut Tyrtaei et Solonis ὑποϑῆκαι testantur, Alexandrini secuti sunt Mimnermum Colophonium, qui primus amatorias composuit elegias. Inter utrosque vacillat Catullus ita tamen ut natura magis ad epigrammata quam ad elegias scribendas propensus fuisse videatur. Nam in his ipsis id quod proprie ad poesin amatoriam pertinet, aut admodum exiguum est aut prorsus omissum, ut in elegia, quam ad ianuam scripsit et quae ob solam longitudinem ex epigrammatum numero exempta hic locum invenisse videtur (LXVII). Tibullus autem qua in re vim quasi et naturam elegiae positam esse putaverit ipse declarat II, 4, 15 ita:

ite procul musae si non prodestis amanti,
non ego vos, ut sint bella canenda, colo
nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
complevit, versis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
ite procul musae, si nihil ista valent.

et II, 5, 111 ita:

usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
verba potest iustos aut reperire pedes.

Fontem igitur ait ex quo versus manent eundemque finem ad quem tendant, sibi esse amorem. Cuius sensus affectusque exprimere cum iam ante eum Graeci elegiae proprium et praecipuum esse iudicassent, nihil novi quidem Tibullus effinxit, tamen ea re ab illis differt, quod ubique cum amore coniunxit querimoniam nescio an magis natura sua ductus quam quod originem vocabuli elegiae spectavit, quae aut a Graeca voce dolentis ἒ aut a substantivo ἔλεος nomen videtur traxisse. Nunquam igitur apud eum inveniuntur exclamationes, qualis exempli causa legitur in Propertio III, 15: „O me felicem, o nox mihi candida" et quae sequuntur; neque autem unquam tam libere amorem suum cum aliis amatoribus se communicare profitetur ut Catullus cum scribit:

quae tamen etsi uno non est contenta Catullo
rara verecundae furta feremus erae,
ne nimium simus stultorum more molesti

sed semper habet cur queratur vel de ianua, qua ab amata puella excluditur (vide I, 2, 5; 1, 56; 5, 67; II, 3, 74; 4, 22, 31; 6, 47) vel de avaritia puellae et qui amorem vendere docuerit (vide II, 4, 14, 25, 33, 39; 2, 49; I, 9, 11, 51, 77 saepius) vel denique de deo, qui amantes cruciet (vide I, 2, 98; 6, 1 sq. 8, 5; II, 1, 70, 82; 5, 107 sq. 6, 15). Ubicunque autem animi hilaritatem expressit, voluptatem mente tantum, non re vera se percepisse confitetur et versuum horum

at mihi felicem vitam . . . .
fingebam demens sed renuente deo

non verba quidem tamen sententia in omnibus fere elegiis repetita est. Ne ea quidem, in qua cum sit prima earum quas ad Deliam amatam scripsit quo tempore perfidiam illius videtur nondum cognovisse, omnium maxime amoris felicis imago expressa est, primi libri tertiam dico, querellis tristitiaeque vestigiis suavissime cum hilaritate confusis caret. Quam animi vicissitudinem si tantum artificii causa a poeta, ut rebus dispari natura inter se confligentibus lectorum animos delectaret, arcessitam esse putaremus, in magno errore versaremur, sed statuendum est, poetam natura ad tristitiam propensiorem fuisse quam ad laetitiam, illique in carminibus scribendis idcirco indulgere maluisse, quippe quam elegiae ut ita dicam charactera magis decere quam hilaritatem putaret. — Tertium denique idque maximum in laude Tibulli ponendum est id quod cum novi aliquid, Romanorum

maxime proprium adderet, auctor et quasi parens Romanae elegiae exstitit. Vitae enim rusticae studium ab eo primum arte coniunctum fuisse cum amore, nondum ab Alexandrinis, partim ex elegiis Catulli, seduli eorum aemulatoris, partim ex ipso illorum ingenio moribusque conici potest. Quid enim ab iis, qui grammatici potius quam poetae ad perpolitos principes delectandos laudibusque extollendos versus elaborabant, magis alienum fuisse putabimus quam ruris delicias et amoenitates! Contra Tibullus, qui simplicitatem natura insitam et rusticatione fortasse auctam ne in urbe quidem amisit, neque unquam, si quidem Horatio (epist. I, 4, 4) fides habenda est, videtur desiisse „silvas interreptare salubres“, is fuit, qui poesin elegiacam ex umbraculis Alexandrinorum eruditorum in solem quasi atque campos produceret et pro doctrina, qua illi eosque secutus Catullus fera quasi diluvie totum argumentum perturbaverunt, naturam substitueret, quae semper benignissimus poetarum fons fuit atque manebit. Quanta autem arte haec duo argumenti genera coniunxit! Non ita ut aut alterum obruat altero aut ubi utrumque non tam conglutinaverit quam confuderit persentiscas, sed tam arte ea connexuit, ut fere dubites, utrum alterius causa arcessiverit. Qua autem ratione illa inter se cohaereant et quo iure ipse coniunxerit explicat eo loco quo poetam vitae rusticae se professus verbis his „rura cano rurisque deos“ inter causas cur digni illi sint qui canantur ultimam eamque gravissimam affert eam quod Cupido ruri natus esset et illic primum indocto se exercuisset arcu (II, 1, 67). Ut igitur amor rure profectus ibique maxime liberrimeque cultus esse poetae videtur, sic eundem solum vitae rusticae afferre iucunditatem saepius aperte dicit. Veluti cum puella amata alium amatorem rus secuta sit sic exclamat:

ferreus est heu heu quisquis in urbe manet.
ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros.

Alio loco optat ut cum Delia boves iungere possit et in monte oves pascere (I, 2, 71), vel denique ubi felicem vitam cogitatione sibi fingit (I, 2, 51 sq.) „rura, inquit, colam frugumque aderit mea Delia custos“ et quae sequuntur. Sic igitur ubicunque imagines rusticae contextae sunt cum amatoriis, illae umbram quasi et extrema his afferunt lineamenta; ubi vero solae inveniuntur id spectant, ut aridas quae narrantur res tamquam vivido suco perfundant. Id luculentissime apparet ex elegia primi libri septima, in qua poeta postquam Messallae laudes singulosque triumphos breviter nudeque enumeravit tandem ad Aegyptiacum transit, ex quo occasionem argumenti dilatandi sumit. Ut enim fertilitatem huius provinciae praedicet, quantopere Osiris, quem eundem esse putat atque Bacchum, de hominibus, imprimis nimirum agricolis, meruerit per singula persequitur. De hac elegia et de libri secundi quinta, cuius simile est propositum, nonnulli viri docti iniqua fecerunt iudicia, in quae paullo accuratius inquirere non videtur alienum esse a proposito, quia si recte ea perspexerimus rectius de illis existimabimus. Atque cum Teuffelius[1]) illam septimam libri primi elegiam una cum primo quarti libri carmine iuvenili aetate scriptam esse putat, qua Tibullus Alexandrinorum vestigiis nimis ingressus nondum ad liberum scribendi arbitrium pervenisset, Gruppius[2]) libri secundi quintam non solum minus perpolitam sed quasi extremis tantum lineamentis adumbratam esse iudicat. Ut illius opinionem refellamus nihil nisi brevis ratiocinatio opus est temporis, quo quaeque elegia scripta sit. Constat autem inter omnes, septimam illam paullo post a. d. X Cal. Oct. anni 727 ortam esse, quo die Messalla de Aquitanis triumphavit; earum autem quinque elegiarum (libri I, 1. 2. 3. 5. 6), quae in Deliam scriptae sunt, et quas ipse Teuffelius omnium pulcherrimas appellat, tertia quidem una summa cum verisimilitudine in anno 724 poni potest, quo poeta, comes eiusdem Valerii Messallae, qui bello Aquitano confecto ab Octaviano contra partes Antonianas in Ciliciam missus erat, in itinere morbo correptus in Corcyra remanere coactus

1) hist. litt. Rom. pag. 443.
2) in libro qui inscribitur „Die römische Elegie“ pag. 82.

erat; reliquas autem cum ad eundem pertineant amorem, si inde ab anno 724 usque ad 727, ultra quem certo nulla fit Deliae commemoratio, compositas esse putabimus, non multum, opinor, a veritate aberrabimus. Ab hoc igitur temporis ordine is quem Teuffelius instituit ita differt, ut eas elegias, quas ante illam septimam scriptas esse equidem censeo, ille iudicium nimirum quod supra attuli sustentaturus, post illam ponat. Hic autem error inde mihi videtur ortus esse, quod primum quarti libri carmen Tibullianum esse putat. Cum tamen illud anno 723 scriptum esse constet, facile intellegi potest, fieri non potuisse ut Tibullus uno anno ante quam pulcherrimas in Deliam scriberet elegias, si quidem recte eas collocavimus, tam mediocre poema, quale illud est, componeret. Neque magis Gruppio assentiri velim. Quod enim is contra se ipsum dicit, carmen cum sollemni occasione oblata factum esset, imperfectum esse non posse, id non satis refutasse mihi videtur neque omnino refutari posse, sed existimo, Tibullum id perfecisse neque etiamsi tempus ei suppetivisset magis elaboraturum fuisse. Quod vero non tam artificiose scriptum est quam cetera id mihi videtur declarare, Tibulli ingenium minus aptum fuisse atque propensum ad carmina ut ita dicam panegyrica scribenda quam ad simplex illud genus, quod in rebus rusticis amatoriisque versatur. Cuius sententiae luculentissimo documento est ultima huius ipsius elegiae et illius de qua supra dixi pars; quam enim amoene et venuste fluit oratio inde, ubi poeta ad id argumentum transit, quod potissimum adamavit! Quod si consideravisset Teuffelius certo non illam elegiam, quae quia et ipsa in laudationum genus cadit, aliquantum ab arte Tibulliana abest, primam omnium iudicasset.

Vitae igitur rusticae studium tam proprium est elegiarum Tibullianarum, ut viri docti, I. H. Vossium secuti, cum ex aliis causis tum ex penuria illius optimo iure effecerint, librum tertium Tibullo esse abiudicandum. Aliter res sese habet in quarto libro vel potius in elegiis 2—7, quae vere quidem Tibullianae argumento tamen illo carent. Quia enim poeta in his non suum ipsius amorem sed Sulpiciae cuiusdam et Cerinthi depingit, noluit nimirum iis studium affingere, quod fortasse cum ipso non communicabant. Ob eandem illam causam non nego, quod sodalis meus H. Grothius in dissertatione quae inscribitur quaestiones Tibullianae (Halle 1872) pro certo probare studuit, fieri potuisse ut poeta in his eligidiis artificiosam structuram et symmetricam adhibuerit responsionem, quam in ceteris, in quibus varios sui ipsius animi motus expressit, non sine consilio sprevit. Quid enim ab animo vehementer fluctuante magis abhorret quam accuratissimus singularum partium commensus? Utrum vero in illis sine ulla argumenti dispositione vis et impetus sensuum affectuumque describitur an res ordine narratur? Neque hoc neque illud fit, sed poeta plerumque argumentum ita persequitur, ut compluribus carminis locis ad propositum quod initio pronuntiare solet, ab alia atque digressus est parte fere iisdem verbis redeat et ita incitatum orationis cursum interrumpens lectoris animo gratum locum paullulum quiescendi offerat. Quod ut melius pateat exemplum afferam. Primae elegiae argumentum postquam sex primis versibus pronuntiavit hoc: „paucis contentus ruri otiosa vita frui malo quam, ut alii solent, divitiarum causa ad bellum proficisci,“ vitam illam accuratius describit usque ad v. 25, unde proposito iterato ad aliam rusticationis imaginem effingendam transit ab illa quidem diversam, cum ad agriculturam et pecuariam magis, illa ad arborum cultum pertineat, ita tamen similem, ut quemadmodum poeta supra (v. 9. 10) sperare se ait, non frustra se plantaturum sed deos copiam sibi daturos esse, quia semper eos veneretur, sic hic (v. 33. 34.) precatur ab iis, ut gregem suum servent ob eandem pietatem, quam ut illic pristinae felicitatis mentione facta accuratius exponit. Versu 41 deinde tertium repetit propositum et vix dilatare coepit cum iterum (v. 49. 50.) ad illud reversus iam novo argumento, quod est amor, addito denique uno tenore usque ad finem pergit initio accurate respondentem. Talem dispositionem consilio et arti tribuendam esse nemo est qui neget; certa autem lege atque etiam numero eam a poeta adligatam fuisse eqidem non puto sed statuendum mihi videtur esse, si qua singularum carminis partium strophica aequalitas inveniatur, casu eam factam esse, in quam Tibullus eo facilius incidere

potuerit, quippe cui, ut iam in singulis distichis componendis cerni licuit, naturalis quidam concinnitatis sensus insitus fuisse putandus sit. Quam concinnitatem quantopere neglexerit Catullus elegiarum undeseptuagesima ceterorumque carminum epithalamium Pelei luculentissimo documento sunt. Utrumque enim unius digressionis gratia videtur compositum esse, quae sine ulla proportione ac paene vi carmini inserta est.

Ut igitur Tibullo praecipua laus a comparatione Catulli proficiscitur ita non minus bene de illo existimabimus, si cum poetis qui sequebantur eum contulerimus. Sunt quidem, ut iam Quintiliani (I, 10 § 93) aetate, alii qui non Tibullo sed Propertio inter poetas elegiacos principatum deferendum esse putent, alii qui liquere negent, uter utri sit praeferendus; quam controversiam equidem diiudicare non audeo, tamen si interroger, utrum melius de poesi elegiaca Romana meruisse putem, Tibullum esse non dubitem pronuntiare. Etenim — ut exemplum ex nostra literarum historia repetam — si Lessingium idcirco practer omnes poetas magni aestimamus, quod primus nostram poesin a perversa Gallorum imitatione vindicavit exemplisque propositis certos circumscripsit fines, intra quos illa versari deberet, ob eandem causam inter poetas Romanos Tibullum ceteris praestare constat. Quodsi Catullum in hoc vel maxime reprehendimus, quod Alexandrinorum studio nimis indulserit, quanto magis vitio dabimus Propertio, quod exemplo Tibulli neglecto ad eandem peregrinorum imitationem relapsus sit.



Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

Ostern 1876 bis Ostern 1877.

A. Allgemeiner Plan.

Unterrichts-Gegenstände.	Wöchentliche Unterrichtsstunden.								
	Gymnasialklassen.							Vorschule.	Summa.
	I.	II.	IIIᵃ·	IIIᵇ·	IV.	V.	VI.		
Religion	2	2	2	2	2	3	3	3	19
Deutsch	3	2	2	2	2	2	2	8	23
Lateinisch	8	10	10	10	10	10	10	—	68
Griechisch	6	6	6	6	6	—	—	—	30
Französisch	2	2	2	2	2	3	—	—	13
Geschichte und Geographie	3	3	3	5	3	2	2	2	23
Mathematik und Rechnen	4	4	3	3	3	3	4	6	30
Physik und Naturkunde	2	1	2	—	—	2	2	1	10
Zeichnen	—	—	—	—	2	2	2	1	7
Schreiben	—	—	—	—	—	3	3	4	10
Summa	30	30	30	30	30	30	28	25	233
Hebräisch	2	2	—	—	—	—	—	—	4
Singen	2					2	2	1	7
Turnen	2				2 [nur im Sommer]			—	4
Fakultatives Zeichnen	2								2
	Gesammtbetrag der wöchentlichen Stunden:								250 St.

B. Uebersicht der Lehrer und der von ihnen ertheilten Lehrstunden.

	Lehrer.	Ordinariate.	Prima.	Secunda.	Ober-Tertia.	Unter-Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.	Vorschule.	Sa. d. Lehrstunden.
1)	Director Dr. Pilger.		3 Deutsch 6 Griech.	2 Griech.	2 Latein						13
2)	a. Oberlehrer: 1. Bauermeister.	I.	8 Latein 3 Geschichte	8 Latein		2 Franz.					21
3)	2. Dr. Bohnstedt.	II.	4 Mathem. 2 Physik	4 Mathem. 1 Physik	3 Mathem. 2 Naturk.	3 Mathem.	3 Mathem.				22
4)	3. Dr. Lipsius.	IIIa.	2 Franz.	2 Franz.	2 Religion 8 Latein 3 Geschichte 2 Franz.	2 Latein					21
5)	b. ordentl. Gymnasiallehrer: 1. Dr. Sanneg.	IIIb.		2 Deutsch	6 Griech.	8 Latein	3 Geschichte	3 Franz.			22
6)	2. Dr. Petersen.	IV.		3 Geschichte	2 Deutsch	2 Deutsch 5 Geschichte u. Geogr.	10 Latein				22
7)	3. Dr. Tschiersch.		2 Religion 2 Hebräisch	2 Religion 4 Griech. 2 Latein 2 Hebräisch		2 Religion	6 Griech.				22
8)	4. Steffenhagen.	V.				6 Griechisch	2 Deutsch 2 Franz.	2 Deutsch 10 Latein			22
9)	5. Dr. Linke.	VI.					2 Religion	3 Religion 2 Geogr.	3 Religion 2 Deutsch 10 Latein		22
10)	6. Berger, Gymnasial-, Elementar- und Turnlehrer.		2 Zeichnen [fakultativ] 2 Turnen				2 Zeichnen	3 Rechnen 2 Naturk. 3 Schreiben 2 Zeichnen	2 Geogr. 4 Rechnen 3 Schreiben 2 Zeichnen		27
11)	c. technischer Hülfslehrer: Klingestein, Cantor.		3 Singen					1 Singen 1 Singen	1 Singen		6
12)	d. Elementarlehrer: Thiele.	Vorschule.							2 Naturk.	3 Religion 8 Deutsch 6 Rechnen 2 Geogr. 1 Naturk. 1 Zeichnen 4 Schreiben 1 Singen	28

C. Unterrichts-Pensa.

Prima.

Ordinarius: Oberlehrer Bauermeister.

Religion: 2 St. Kirchengeschichte, ausführlich die apostolische und die Reformationszeit. Repetitionen, namentlich des Katechismus. Tschiersch.

Deutsch: 3 St. Gegenstand literarhistorischer Besprechungen wie häuslicher Lektüre: Goethe und Schiller bis 1806, unter besonderer Berücksichtigung ihrer dramatischen Dichtungen. Dazu im W.: Elemente der Logik. Monatlich ein Aufsatz. Der Director.

Latein: 8 St. Horat. Od. III. IV. Epod. 2, 6, 9, 13, 16. [Memorirt wurden Od. III. 1. 8. 9. 13. 16. 30. IV. 3. 7.] Satir I. 1, 3, 4. 2 St. Cic. pro Mil., Verr. IV. 3 St. Privatlektüre: Cic. Lael., Sallust. bell. Jug. Monatlich ein Aufsatz, wöchentlich ein Extemporale oder Exercitium mit Benutzung vorangegangener Lektüre. Sprechübungen über historische Stoffe. 3 St. Bauermeister.

Griechisch: 6 St. Hom. Ilias XIII — XXIV. (großentheils privatim). Soph. Oedip. Rep. 2 St. Demosth., zwei philippische Reden; Plato Eythyphron. 2 St. Grammatische Repetitionen. Zweiwöchentlich ein Extemporale oder Exercitium. 2 St. Der Director.

